



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Sed Quid Fiet De Persona Condemnata? An concedendum est ei, si adest,  
ut in ijsdem locis uiuat?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

innocentem personam. Extat & alter casus i. Corinth. 7. de defertore uel defertice.

## DE MODO PROCEDENDI.

NON sunt autem facienda diuortia sine cognitione legitimum iudicium, sed persona innocens, si uult fieri diuortium, petat a iudice uocari personam, quæ deliquit. Hic cum utraque pars uenit in iudicium, primum adhortandi sunt utrinque, ut redeant in mutuam gratiam: si non procedit reconciliatio, pars innocens non potest cogi, ut recipiat ream. **AUDIT** igitur partibus, & confirmata accusatione, si accusator honeste uixit, & petit ferri sententiam, pronuntietur hoc modo: Cum persona quæ deliquit, suo scelere dissoluerit coniugium, iudex autoritate Euangelij personam innocentem pronuntiat esse liberam, & expresse inquit, concedi ei, ut pro sua conscientia pie contrahat aliud coniugium.

**PONIT** **FIET** Canones faciunt diuortium nomine, non re, id est, non permittunt, ut persona innocens contrahat aliud coniugium. Sed cum Euangelium in illis casibus concedat diuortium, intelligatur, id non de inani uocabulo, sed de tali liberatione, quæ fit re ipsa, diuortium uidelicet, in quo non retineatur ligata persona innocens. **ER** fuisse hanc consuetudinem in Ecclesia ueteri, annotatum est ab Origene in Matthæum. Item ab Eusebio in Ecclesiastica historia, qui pagina 88. recitat historiam ex Iuliano Martyre, qui scribit, mulierem piam fecisse diuortium cum marito, polluto flagitiosis libidinibus, & publice accepisse libellum repudij, ut uocabant, id est, tabulas testificantes de diuortio. Et Hieronymus recitat Fabiolæ nobilis matronæ Romanæ historiam, quæ propter mariti scelera fecit diuortium, & nupsit alteri. Hæc exempla meminisse utile est, ad confirmandum morem iudiciorum in nostris Ecclesijs. **SIN** autem persona quæ deliquit non uenit in iudicium, sed aut contumaciter abest, aut inueniri non potest, cum accusator confirmata accusatione testes adducat, qui affirmant, eius famam integram esse, & petit se liberari, pronuntiet iudex, eum liberum esse, ut ante dictum est.

**SED QUID FIET DE PERSONA CON-**  
**dennata?** An concedendum est ei, si adest,  
ut in iisdem locis uiuat?

**RESPONDEO:** Magistratus politicus adulteriam punire debet. Ideo persona condemnata, si non punitur durius, pellenda est in locis, ubi uiuit persona innocens, cui altera, uidelicet condemnata, uelut mortua existimanda est. Et hæc seueritas ad politicum magistratum pertinet.